



D. IO. AVGVSTVS ERNESTI
S. THEOL. PROFESSOR
ORDINIS THEOLOGICI
PROCANCELLARIUS
AD
SOLEMNIA
DISPVTATIONIS PVBLICAE
PRO LICENTIA
CAPESSENDI GRADVM DOCTORIS
ET
DOCTORIS THEOL. CREANDI
IN AVDITORIO MAIORI
PRID. KAL. DECEMBER.
CONCELEBRANDA
INVITAT



ITINERARIUM AUSTRIACUM

AD VENETIA

IN BORGONIA ET CAVESCO

ET VENETIA. QVI CORI

ET VENETIA.

Litteris Ratisbonensibus nuper cognouimus, Regem Potentissimum Borussiae, admonitum ab Academia Berolinensi, detulisse ad Consilium Principum Germaniae Euangelicorum, anno huius seculi duodecimtagesimo fore, ut Pascha nostrum incideret in eum diem, quo Iudei Pascha suum agerent, ut de ea re, id est, de Paschate nostro in alium diem differendo ac definiendo deliberaretur, et de more, lege Nicena instituto, decerneretur. Socii illustris illius Academiae sive Mathematicorum eius aliquis, vtrum id suis rationibus repererit, an e *Io. Bernullii* Epistola ad Se-natum Tigurinum didicerit, qua ei, de die Paschatis anni 1724. in comitiis Ratisbonensibus constituto consultus, respondit, et obiter monuit, candem rationem caussae Paschatis a 1778 fore, quae tum fuerit, et quid sibi de tota illa re videretur, declarauit, T. IV. opp. p. 474. nec possumus decernere, nec refert scire. Vero simile autem nobis vide-tur, si eam Vir ille doctus legisset, taciturn potius, quam ad Principem delaturum rem suisse. Nobis autem non

A 2

alic-

IV

alienum visum est a persona nostra, super hac Paschali, quae nunc agitabitur publice, causa sententiam et consilium dicere, cuius rei nobis etiam quidam eruditissimi Theologi, quibus cum de ea *re locuti sumus*, auctores fuerunt. *Bernilius* quidem ille, rem hanc non modo Astronomici iudicij esse, dicit, sed etiam Theologos audiendos esse atque Politicos p. 494. Et ille quidam Theologorum iudicium omne ad religionis rationem refert; ex qua non tam referre, qua die sacra Paschalia fiant, quam quomodo fiant: In quo ille angustius conclusit Theologicam in hac causa rationem. Nam et in hanc partem erant consulendi Theologi, quae ad historiam totius rei pertinet, sed ii, qui eam per iustum literarum graecarum latinarumque scientiam, ex ipsis fontibus Ecclesiasticorum monumentorum haussissent. Sed ii, qui tum erant, cum adhuc libri de historia Ecclesiae multos haberent errores ab inficta linguarum natos, in his hunc ipsum de Paschali causa? Etenim, cum senioribus seculis Clerici illud decretum Nicenum de Paschate Christianorum non agendo eodem cum Iudeis die ex vocabulariis puerilibus intelligenter sic, *dass die Christen das Osterfest nicht an dem Tage feyern sollten, an dem die Juden Oster halten*, et causam illius decreti veram ignorantem, in odio Christianorum erga Iudeos quaererent, inde omnes libros haec opinio perugata est, vt Christianis non licere putaretur, Pascha suum eodem cum Iudeis die agere. Atque hinc orta est ea, quae ad hanc diem mansit consuetudo, vt in definiendo Paschatis Christiani die, si reprehensum esset rationibus astronomicis, eum incidere in diem Paschalem Iudeorum, solemnia nostra Paschalia differentur in proximam Dominicam diem. Sed illam interpretationem decreti Niceni esse falsam atque ridiculam, hoc nostro seculo de-

mum

mum a nonnullis viris doctis est animaduersum atque etiam ita demonstratum, vt nihil contra dici possit. Superiori quidem iam seculo errorem videtis vidisse *Ioach. Hildebrandus*, Helmstadiensis Theologus, rerum ille historicarum studiofissimus, et notasse in *Enchiridio de priscae Ecclesiae sacris publicis* etc. sed sine effectu. Diligentius rem explicavit et demonstrauit *Daniel*, Francogallus, Vir Celeb. in libello *de disciplina Quartodecimanorum in celebrando Paschate T. III.* opp. 473. I. cuius rei notitia ad Germanos quosdam venit, *Heumannum et Mosheimium*, ex *Ephemeridibus*, opinor, literariis; nam ille quidem non ipsum a se lectum libellum fatur, sed ita, vt rem diligentius excuterent, et *Danielem* verum vidisse agnoscereint, ille in *Programmate Paschali* super hac re scripto, hic in *Comment. de rebus Christ. ante Constantini M. tempora p. 439.* quos deinde et alii fecuti sunt, *Walchius V. S. R.* in *historia Controversiarum*, P. I. et nuperri me *Schroekius*, V. C. in *Hist. Eccles.* P. III. p. 51. Sed age totam rem breuiter et ad consilium nostrum accommodate exponemus.

Pascha proprie dictum est beneficium a Deo Israelitis in Aegypto tributum, cum ille perdens vna nocte omnes Aegyptiorum primogenitos, Israeliticos intactos reliquit, et aedes Israelitarum, in quibus, ex eius praecerto, agnus macratus et consumptus coena esset, et quarum ianuae sanguine illius agni essent respersae, veluti *transfisset*. Vsus deinde loquendi, vt fit, mutauit primam illam significationem, et id verbum de ipso agno, et coniuio ex eius carne facto, denique die, quo agnus macraretur et comederetur, dictum est; dum fierent formae loquendi ad exprimenda ea, quae in memoriam illius tanti beneficij fierent, vt *facere pascha, macrare*

VI

pascha, in quibus similibusque formis intelligebant propter
 vt Graeci, cum dicunt, v. c. Στερν γάμον, sacrificium facere
nuptiarum causa. Nec alio sensu verbum *pascha* in libris
 sacris dicitur, aut, quod nos quidem animaduerterimus, in
 libris graecorum et latinorum Ecclesiae scriptorum ante Ni-
 cenum Concilium. Postea, serius quidem, coepit etiam
 dici, nostro more, de die memoriae reuersi in vitam Iesu
 Christi sacro; non, vt vulgo existimarent, quod reditu Chri-
 sti in vitam nobis securitas a pernicie parta esset, sed quod
 eo die, vt apud Iudeos agnus coena consumiceretur. Et
 enim eti Christiani non ignorabant, ritum illum Iudeo-
 rum, sicut alios, circumcisionem, victimas animalium, non
 necessario seruari, sed sine noxa omitti posse: tamen puta-
 runt eum comode et utiliter seruari posse ad colendam mem-
 oriam ultimi illius conuiuii paschalis, quod Iesus cum di-
 scipulis suis amantissime fecisset, instituto etiam saluberrimo
 Eucharistiae sacramento, et illud ipsum sacramentum
 usurpandum: unde illa ipsa *coena a Latinis dominica* coepit
 dici; cuius generis exempla nos reperimus: isque mos et
 iam diu post Nicenum concilium durauit. Et quia Iesus il-
 lam coenam tempore Iudeis prae finito sumserat, eandem
 illi diem seruandam in hac coena putabant, quod id ad
 acuendum memoriae illius sensum valere posset. Post de
 die quidem, quo illa coena agenda esset, cooperunt variare
 Christiani, aliis illum diem seruantibus, aliis deferentibus,
 et rem ad sequentes dies in primisque diem Dominicam
 proximam transferentibus: unde controuersia orta, leniter
 illa primum, post vehementer agitata; cum essent, qui nullo
 modo probari posse dicerent, eam coenam cum Iudeis,
 sive eo, quo Iudei solerent, die fieri. Causa autem illius
 dissidii non erat in odio Iudeorum, vt vulgo existimauere

re.

recentiores, sed in ieunio solēnni, quod eo die et proximis ante diem dominicam agebatur ex instituto ecclesiastico, et illa coena tolli, nefas putabant, eiusque seruandi causa eam in diem dominicam, laetam illam ex reditu Iesu Christi in vitam, transferri debere. Atque in hanc partem decreuit Nicen um concilium. Ex quo etiam factum est, ut Graeci post πάσχα duplex facerent, σαυρότιμον, quod esset idem Iudaicum, die, quo Christi passio cooperit, alterum ἄναστομον, quod die tertio post fieret, quo Christus in vitam redisset. Atque hinc omnis illa consilio orta est, postquam mos conuinii prisco more faciendi sublatus, diesque ille vni Iesu in vitam reuersi memoriae celebrandae definitus esset: estque perspicuum, illam Nicenam legem de Paschate Christianorum non celebrando ea die, qua Iudaicum fit, ad nos nihil pertinere, frustraque in hoc laborari, ut rationibus Astronomicis accurrate subducendis reperiatur, an Pascha nostrum, quod proxima a primo post aequinoctium vernum plenilunio die solis agere solemus, incidat in diem Paschatis Iudaici: qui labor, si mos receptus manserit, hoc seculo repetendus erit, anno 94. praelestīm cum omni illo labore raro aut nunquam aliquid certi reperiatur, atque adeo, ut bene is, quem supra laudauimus, *Bernullius* demonstrauit, incommoda quaedam non parua oriri possint.

Quid igitur ex his sit, quid faciendum videtur? Scilicet optandum est atque suadendum, ut Princes Ecclesiarum Protestantium in Germania, hac re cognita, superiorum temporum morem in Paschali causa decernendi relinquant, et consilium *Bernullii* sequantur, qui auctor fuit, vt potius aliqua dies Dominica vernalis definiretur, qua sem-

VIII

semper Pascha fieret, atque inde totus annus Ecclesiasticus ordinaretur: quam ego quidem quartam aut quintam decimam esse velim. Huius consilii plures causas probables videor mihi habere. Nam primum, quis non videt, esse dignitatis tum Principum, tum Ecclesiae nostrae, eam labem, quam Ecclesia nostra ex illa consuetudine Paschatos nostri differendi, vbi cum Iudaico concurrit, suscepit, deleri atque elui. Neque enim vlo modo dignum atque honestum est Ecclesiae nostrae, seruari ab ea, quod totum ab ignorantia graui ac prope ridicula natum est. Aliquoties accidit mihi, ut cum, in historia Ecclesiastica tradenda, illum causam explicarem, et unde consuetudo nostra Paschatos differendi, cum in Pascha Iudaicum incidet, orta esset, docerem, iuuenes riderent.

Quod si dignitatis ratio non valer, quae vel maxime debet valere: at utilitatis variae ratio valeat. Nam illud nostrum vel *Bernullii* consilium tum mercaturae exercendae rationibus opportunum est, tum etiam ipsarum, quae nobis maxime curae sunt, literarum studiis. Et mercaturae quidem opportunitas existet ex eo, quod ita mercatus plures et illustres, quorum tempora definiuntur Paschate, facilis et commodius poterunt a mercatoribus adiri, et amoenius tum itinera fieri, tum ipsi mercatus dies transfigi. Quid vero? Academicis rationibus non admodum opportuna res erit? Etenim, quoniam annus Academicus fere a Paschate initium capit, et cum eo in orbem reddit, eoque tempore maxime iuuenes vel petunt Academias, vel exacto studiorum cursu, relinquent; facile intelligitur, itinera iis commodiora fore, et deinde cum his, qui in Academicis discunt, tum doctoribus commodiorem anni descri-

scriptionem futuram, ad lectiōnum modum, ne ille quadrans anni, qui Paschate finitur, aut breuior iusto sit aut longior: quorum illud solet festinationem in docendo afferre iis, qui disciplinam, quam tradunt, absoluere cum Paschate volunt, aut ex legibus debent: quod est sane malum Academicum non leue, et vel sic valde hodie in Academiis visitatum: hoc autem aestiuum curriculum breuius facit, vnde eadem incommoda nascuntur.

Ceterum haec disputatiuncula cum doceat, quam necessaria sit Theologis accurrata scientia linguarum, ne in errores ridiculos incident, et controvēsias inanes, et ramen noxias moueant, utque his iudicandis et accurate discutiendis idonei sint, non aliena nobis, vt a tempore praeſenti, ita ad actionem, cuius testes esse quam plurimos cupimus, visa est. Agetur enim hoc die proximo Iouis, ut honoribus Doctoris Theologiae ornemus virum, quem in Colloquiis, experiendae doctrinae eius cauilla institutis, cognouimus egregie instructum earum linguarum scientia, quibus interpretatio librorum sacrorum, tum hebraicorum, tum graecorum, continetur. Quo etiam libentius ei honores illos, quos petuit, decreuimus, speramusque, eum doctrina illa sua plurimum utilitatis et Ecclesiae et eius ministris, qui eum Ephorum venerantur, allaturum. Qua via ipse ad hanc dignitatem contendenterit, et a prouidentia diuina ductus sit, ex narratione ipsius poterunt lectores cognoscere.

Exposituro mihi, GOTTLIEB MERKELIO, Ringershainio-Misnico, anno 1734. die 19. Ian. in lucem edito, de vita mea non solum dicendum est, a quibus parentibus hanc vitam

B

tam

X

iam acceperim, sed illud maxime videtur commemorandum, a quibus fuerim tum ad recte beateque viendum institutus, tum etiam nutritus et ornatus. *GODOFREDVM MERKE-LIVM*, et *ANNAM*, *IOOSTIAM*, parentes habui, pauperes quidem et humiles, attamen probos, religiosos et mei amantissimos; qui, quantum per ipsorum inopiam fieri poterat, bono cuidam magistro, qui etiam nunc, nonagenarius fere, superflues es, me in arte musica potissimum erudiendum tradiderunt, (puer enim otio annorum iam artem musicam coepi trahere.) Istud, quod sumnum esse scio, patri contigerat, ut sub ditione *Perilliustris*, atque Generosissimae Domus de *POIGK* etc. parentes, essent. Atque ab hoc beneficio felicitatis meae duco exordia, scilicet, cum *Perilliustris* et *Excellentissimi Domini DE POIGK*, Pater, Praefes Cameræ etc. Filius Generosissimus, Cancellarius Serenissimorum Saxoniae Electorum etc. in suam curram me, puerum, indulgentissime et liberalissime reciperen. Anno 1746 ab Amplissimo et Splendidissimo Senatu Dresdensi in eorum numerum sum adsumptus, qui in schola Cruciana Alumnorum nomine viuunt, atque ab liberalitate beneficentissimi ordinis nutriuntur, cuius maximi in me collati beneficii gratissima semper erit memoria in animo meo.

In hac schola Cruciana mihi, septem fere per annos nutrito, contigit habere praeceptores praestantissimos, *KAEHLE-RVM* et *KRETZSHMARVM*, atque, in quo in primis fortunatum me dico, *GEBAVERVM* et *SCHOETTGENIUM*, viros literatissimos. Confecto hoc curriculo scholastico, in Academiam Lipsensem cogitabam, cuius constitui, praeter alias rationes, haec quoque erat, ut arte musica aliquid lucraver. Nam res pecuniaria ne in annum quidem sufficiebat.

Sed



Sed adorat deus, ut aiunt, ex machina, et curas meas omnes mihi adimebat. Vir Perilliſtris, Excellentissimus et Generofſimius Dominus, IOANNES GEORGIVS DE POIGK, Serenifſimi Eleitoris Saxoniae Cancellarius etc. vir, de cuius morte immatura incredibilis fuit tot bonorum virorum collacrymatio: is me Vitembergam iuſſit adire, atque, ut sine curis possem ad ſtudia incumbere, quatuor per annos liberaliſſime me aluit et adiunxit. Rem narro veram, sed raram: non ſolum in me nutriendum et veſtiendum VIR Perilliſtris Ille quingentos certe Ioachimicos erogauit; ſed etiam alios plures habuit, quos ſoueret, et in ſtudiorum palaeftra aletret. Vitembergam veni, anno 1754. et quos non audiui in hac Illuftri Aca demia doctores, in omni ſcientiarum genere? HOFMANA NVM, WEICKHMANNVM, WALTHERVM, RITTERVM, HILLERVM, BOSIVM, SCHWAR ZIVM, CLVGIVM? quos viros? quanta nomina? Inter patronos Vitembergenses venerari mihi inprimis licuit b. WEICKHMANNVM, cuius in me formando tuendoque ſummam humanitatem et facilitatem nunquam fatis potero laudare.

Quadriennio Vitembergae conſunto. Artium creatus Magiſter, Lipſiam cogitabam denuo. Non autem erat mihi, ex quo ibi viuerem. Inter vitae meae felicitates iure reſero, quod Illuſtrifimo Domino, IACOBO FRIDEMANNO, Co miti et Domino de WERTHERN etc. iam Serenifſimi Eleitoris Saxoniae, apud Hispanorum Regem, Legato, eo autem tempore, ſtudiorum cauſa, Vitembergae moranti, tempeſtive innotui; qui, cum in Academiam Lipſensem ſe conſerret, mihi quoque liberaliſſime fecit copiam videndae Lipſiae. Artis ſcili cet muſicæ et amantifſimus, et peritiſſimus erat Comes Illuſtrifſi mus,

mus, cuius artis exercenda socium me iam voluerat esse *Vitembergae*. Quos labores ut *Lipsiae* continuarem, atque legendis scriptoribus latinis cum *Ipsa* horam quotidie tribuerem, centum *Ioachimicos* mihi dedit quotannis. Multis etiam modis adiutus sum *Lipsiae* ab *Amplissima Familia MULLERIANA*, cuius favoris recordatione nil mihi est, aut unquam poterit esse incundius. In Academia *Lipseensi* audiui *Viros Summos, CRIVSIVM, STEMLERVM, BAHRDTIVM, ERNESTI* et *GELLERTVM*, cui popularis ego eram, quique mihi alter erat *Weickhmannus*.

*Sub finem anni 1759. Senatus Liebenwerdensis Rectoris scho-
lae munus mihi demandauit, quod multa cum voluptate admini-
stravi. Anno 1761. ab Illustrissimo et Excellentissimo Domino,
GEORGIO, Comite et Domino de WERTHERN etc.
Patri commendatus a Filio, vocatus sum pastor ecclesiae Gros-
dalzigenensis, quo in munere decem per annos tum felicissime latui,
tum etiam, Illustrissimae Domus de WERTHERN patroci-
nio ornatus, ita vixi, ut nemo forte beatius; maxime cum ad
Perillustrem Domum de BERLEPSCH liber aditus mihi
indulgeretur. Nam Wiederawia, ista amoenitatum sede, quid
festiuus aut elegantius?*

*Atque exinde quoque innotui rerum Sacrarum per Saxo-
niam et Summo Praesidi, Perillustri, Excellentissimo atque Ge-
neroſſimo Domino, Domino IOANNI GOTTHELFIO
de GLOBIG, Serenissimi Eleitoris Saxoniae a Consiliis Inti-
mis etc. Musarum praesidia diuinitus dato, et huic Supremi Se-
natus, atque Consistorii Ecclesiastici reliquis ANTISTITI-
BVS et ASSESSORIBVS Perillustribus, Magnificis,
Summe Venerandis et Amplissimis, ita, ut anno 1771. Pastor
Gom-*

Gommeranus designarer, editisque speciminibus, vicinarum ecclesiarum Superintendens clementissime confirmarer. Fuit ea, quam egi apud Gommeranos, vita mihi fortunata, et tranquilla, et ubi RENZIVM, ROEHRIGIVM, FVLKRVSIVMque cogito, viros cogito mihi amicissimos. Et hunc migrationum mearum volebam esse terminum, apud Gommeranos meos.

Sed rebus humanis apud Torgauenses erepto Antiflitem, D. MARTINO GRVLICHIO, viro mihi, etiam post mortem maxime Venerando; Amplissimum huius urbis Senatus, per duos viros Senatorios, quibus adiuncti erant duo ciues honestissimi, munus Pastoris mihi offerri voluit, quod et ego, rem omnem non ex redditibus, sed ex animi conscientia aestimans, anno 1773. ita accepi, ut, editis speciminibus usitatis, Superintendensis officia indulgentissime mihi demandarentur. Atque haec de vita mea ipsa dicta junto.

Quemadmodum vero huius vitae meae multa et innumerā prouidentiae diuinæ sunt documenta; ita lectori aequo et pio non ingratum fore auguror, si ex ea, quam egi, ab aratro quasi usque ad Aram, vita quadam excerpam, quae, et si non splendida, tamen magna mihi, et forte aliis quoque, magna sunt. Quaecunque enim mihi acciderunt, ea accidere etiam aliis possunt.

Per omnes vitae meae aetates singularem Dei curam prouidam expertus sum. Exempla funto haec quatuor: Primo igitur, atque cum Vir Perillistris et Excellentissimus de POIGK etc. me, puerulum de grege sumtum, secum Dresdam adducere liberalissime constitisset; currui, quo vehebatur VIR Perillistris cum familia, quique rebus necessariis erat oneratus, ego a

ter-

XIV

tergo ita eram impositus, ut nihil plane timendum esset. Sed cum vix abeſſet currus ab urbe Nossena, ego imprudens, ut ci-
bū caperem, cultrum explicō, cumque currus ad lapidem quen-
dam magna vi impingeret, ego, cultrum manu dextra tenens,
currū excutior, atque, capitis tuendi cauſa, manum ita direxi,
ut, dum decido, ſimil in ipsum inciderem cultrum, qui, vulnere
in vultu, ſub oculo dextro, fato, uſque ad fauces, per ve-
hementiam lapsus, infigebatur. Cicatricem in vultu fero, obdu-
ctam quidem, ſed quae de vulnere, vulnerisque periculis, affidue
monet. Vitam hic didici me bis debere Deo. Secundum di-
vinae curae testimonium e vita ſcholastica ſumo hocce: Puer ego
artem musicam in ſchola cruciana ita exercebam, ut literas plane
negligerem. Haec obſeruans optimus preeceptor, M. IO AN.
GEBÄVERVS, V. Cl. iam ſcholae crucianae Dresdiniſſis
Conreſtor meritiſſimus, me, cum nihil, quod exhiberem, ſpeci-
minis a me eſſet elaboratum, cumque artis musicae exercitia pree-
tenderem, ſeueriori vultu excipiebat, his additis verbis: Tu
pelleme, cerebrum habes, atque ingenium et literas fasti-
dis? Quem ego te — ab hoc tempore coepi, literas diligen-
tius traçare, et artem musicam tamē non negligere. Tertium
prudentiae diuinæ documentum uifus ſum mihi reperiſſe, in te-
ſtimonio, quo b. KRETZSCHMARVS, Reſtor ſcholae
Crucianae diligentissimus, me in Academiam diſcedentem ornauit.
Hifce verbis ita ſcriperat de me beatus preeceptor: Sciant pa-
tronii, ſe quicquid in hunc contulerint, publicis tribuisse
commodis, ad quae natus eſſe mihi videtur. Haec verba,
quae primo vanitatem alebant apud me, poſtea vox Dei monen-
tis a me ſemper fuit habita. Venio ad quartum, quod repto,
non autem ad ultimum, quod expertus ſum, diuinæ benignitatis
exemplum, quod deus ſtatuit in me, per V. S. V. D. STEM-
LERVM, in Academia Lipsiensi.

Iam-

Iamiam me parabam, ut Academiae Lipsiensi dicerem vale.
 Nancisci munera Rectoris apud Liebenwerdenes spes mihi sa-
 ñta erat. Sed, nimium fateor, tenuis et abiecta mihi tunc vide-
 batur haec sparta. In consilium adhibui b. GELLERTVM,
 qui, qua erat religione, seuere affirmabat, hanc esse nutum di-
 vinum. Dicessi, tanquam qui tulerim spvi suae repulsam.
 Serupulum autem hunc a GELLERTO iniectum animo non
 poteram eicere. Accidit post aliquot dies, quod nunc narran-
 dum est. Conueneramus aliquot Magistrorum, qui sub Praesidio b.
 STEMLERI artem oratoriam exerceremus, in huius Viri
 Summi aedibus. Incidit inter alia sermo de indocto quodam
 Candidato, qui in examine repulsam tulerat. En! aliquis ex
 nobis: Homo is est indoctus — sed est quoque sparta te-
 nuis, et contemta — Qua voce audita, b. STEMLERVS,
 quasi diuinam gubernationem, munerumque ecclesiasticorum vin-
 dicaturus dignitatem, assurgit, atque eo vultu, quem rei grauitas
 postulabat, sic est orsus: Cauete, o mei, cauete, ne hanc
 iniuriam inferatis deo, vilianque prouinciam, qua aliis
 prodesse poteritis, tenuem atque contemtam habeatis. Ex-
 emplum me sisto vobis. Pauper ego quondam Rector
 eram; sed nunc videris — Haec dicta erant mihi. Abii,
 erubui, Rectoris munus apud Liebenwerdenes petii, impetra-
 vi — atque nunc denique, similiter; in eadem urbe Torgauia,
 et ex iisdem rostris Torgauensibus doceo, in qua urbe, et ex qui-
 bus rostris quondam docuit Venerandus STEMLERVS. Ita
 per b. STEMLERVM, totius rei ignarum, deus emenda-
 vit me, qui, omni data occasione, auctor sua/sororque sum amicis
 meis, ne Dei nutum in hoc genere unquam temere negligent
 aut contemnant.

Spera-

FK II. 2642

X 29797 M

Vd18

XVI

Speramus, hac Viri Venerandi de se narratione lecta,
quemlibet adamaturum primum, sensus illos honestos et
pios, quibus ea repleta est, tum deinde tam praeclarum
prouidentiae diuinae opus, quod in ipso hoc viro specta-
tur, neque adeo opus esse rogatu nostro, ut ei saueant le-
stores, et auctum illum, quo ei honores Doctoris tribuemus,
frequentia sua ornent; sed sua quemcumque sponte huic spe-
ctaculo adfuturum. Itaque facite sic, *Cives generosissimi, no-
bilitissimi, humanissimi*, et bene valere. P. P. Dom. XXIV.
p. Trin. A. C. cIcccccLXXV.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA



MG.



H
i
2642

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



AVGVSTVS ERNESTI
 S. THEOL. PROFESSOR
 DINIS THEOLOGICI
 CANCELLARIUS
 A D
 SOLEMNIA
 ATIONIS PVBLICAE
 RO LICENTIA
 ENDI GRADVM DOCTORIS
 ET
 RIS THEOL. CREANDI
 AUDITORIO MAIORI
 PRID. KAL. DECEMBR.
 ONCELEBRANDA
 INVITAT

